



807

~~10/17~~

Leipzig 10.11.

Hypothekenschein

24.11.1871



Alv.: T. 62



Index disputationum.

1. De sacra scriptura.
2. Scemmatum Lemmatumque Theologicorum miscella.
3. Discursus Theologicus de formula Concordiae.
4. Quaest. An in causa religionis scripta $\Psi\theta\delta\tau\omega\rho\mu\alpha$ vel $\acute{\alpha}\rho\omega\rho\epsilon\mu\alpha$ sint probanda aut toleranda.
5. De $\acute{\alpha}\rho\alpha\sigma\alpha\delta\omega\mu\epsilon\tau\alpha$ seu incomprehensibilitate.
6. De Jesu Christo $\Theta\epsilon\alpha\rho\phi\omega\tau\omega$ & Photinianis.
7. Examen reputationis Valentini Schmalcij.
8. De fide Jobi c. 19. v. 25.
9. Controversia de Spiritu Sancto & Photinianis.
10. De homine et eius statu integritatis ante lapsum.
11. De poenitentia, Confessione & Absolutione.
12. De meritis bonorum operum.
13. Eiusdem argumenti.
14. De Apostasia Romano - Papisticae Ecclesiae.
15. De ecclesia.
16. Eiusdem argumenti.
17. De primatu Papae.
18. An papa sit Antichristus.
19. Eiusdem argumenti.
20. Resp. ad 8 quaestiones Jesuitarum Clavicensium.
21. De ministerio Verbi.
22. De methodo Concionandi.
23. Quinq; disp. de corruptelis dno collegio p Pontif. Calvin. & Plain.
24. De invocatione.
25. De pace Ecclesiae.
26. De Syncretismo.
27. De Confessione.

DISPUTATIO
THEOLOGICA

De Confessione

veritatis Evangelicæ, ab
omnibus Christianis edendâ,

Quam

Sub auspiciis Sacrosanctæ Trinitatis,

Præfide

POLYCARPO LYSERO,

SS. Theol. Doct. Profess. & Pastore,

Publicè defendet

JOHAN von Platen/
Nobilis Pomeranus.

Ad d. 20. Decembr. horis & loco solitis.



Lipsiæ,

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.

ANNO M. DC, XXII.

30

T 162 (30)



DISTRICTO
THEOLOGICO

De Confessione

Veritatis Evangelicae, ad
omnes Christianos

Sub auspiciis Sacrae Theologiae

Præfatus

JOHANNES LUTHERUS

ss. Theol. Doct. ofid. & Pastor

JOHANNES LUTHERUS

ss. Theol. Doct.

Adm. theol. theol. theol.




Lipſiæ

Excudit FREDERICUS LANTZSCH

ANNO MDCXXII





THESIS I.

Rarissima est vox Apostoli Pauli, Rom. ^{Conf. lica} 10, 10. corde creditur ad justitiam, ore au- ^{salutare o-} tem fit confessio ad salutem. Qua ostendit, ^{pmo} fidem in corde cum primis manifestari per confes- sionem oris, quam si homo edere recusat, de fide & consequenter de salute illius merito dubitari.

Arduum ergo & salutare opus confessio fidei est, ad quam scriptura Christianos non solum sapissime hortatur, sed etiam exemplatum capitis Christi, tum membrorum sive sanctorum ad imitationem proponit.

II.

Atq; inter hos Johannes Baptista primum merito locum tenet, quem a dextris & sinistris Satan aggressus, nec honoris ob- latione, nec minarum atrocitate a veritatis confessione dimo- vere potuit. Joh. 1.

III.
Exemplum
Johannis
Baptiste.

De cujus intrepida confessione cum in Ecclesiis jam agatur, non abs re erit, si & nos doctrinam de Confessione veritatis E- wangelica in Schola Publica proponamus, ut quò magis jam Sa- tan per Pontificios ejus studium impedire, & veritatem oppri- mere conatur: Nos contra in ejus cognitione magis crescamus, & ad constantiam in edenda veritatis Confessione excitemur.

IV.

Ut verò momenta presentis negotij rectius intelligantur, Confessionis vocabulum, quod in scripturis πολυσημον est, pri- mò considerabimus, post definitionem subjiciemus & expli- cabimus.

V.

Sumitur verò Confessio interdum pro doctrina & profes- sione. Heb. 3, 1. considerate Apostolum & pontificem Con- fessionis nostræ: c. 4, 14. teneamus confessionem: Interdum significatio.

VI.

Varia vocis
significatio.



opponitur abnegationi. Joh 1, 20. confessus est & non negavit. Matth. 10, 32: omnis qui me confitebitur coram hominibus &c. Rom. 10, 10: ore fit confessio ad salutem: Interdum pro laudatione & gratiarum actione sumitur, Psal. 118, 1: Confitemini Domino, quoniam bonus est.

VII.

Media significatio hujus loci est propria, quæ tamen pro objectorum diversitate varias quasi species admittit. Unde vox Confessionis hic determinatur ad certam speciem, veritatis nimirum cælestis: quæ quia vel fidem vel mores hominis instruit, nos hic potissimum de Confessione veræ fidei agimus, quam à discipulis suis Christus Matth. 10, 32, & Paulus Rom. 10, 10. requirunt.

VIII.
Definitio.

Est autem Confessio veritatis Evangelicæ sive fidei, opus à DEO mandatum, seu cultus DEI externus ex vera fide fluens, cum veritatem Evangelij aperte & constanter pro ratione officij nostri profiteamur, ad illustrandam DEI gloriam, & promovendam aliorum salutem.

IX.
Est cultus
Dei.

Initio Confessionem fidei cultum DEI vocamus: non enim est in ἰσὺν ἀδίαφόρων, quæ nec præcepta, nec prohibita, ideoq; libera sunt: nec inter ἐἴσα λυαῖα ἀνθ' ἑωπιῶν referenda est, quibus Deus frustra colitur, Matth. 15. Sed habet ἐἴσλην sive mandatum DEI, itaq; illà DEUS colitur, & merito cultus DEI à nobis vocatur.

X.
Necessarium

Atq; hinc Necessitas Confessionis demonstratur: Quod enim à DEO mandatum est, ab homine sine peccato omitti non potest. Jam vero Confessio veritatis Evangelicæ in genere à DEO in Decalogo mandata est: dum enim nomen Dei in vanum sumere prohibemur, è contrario, illo in prædicatione & confessione &c. piè uti jubemur: in specie per Apostolum Petrum præcepta est, 1. Epist. 3, 15: Estote semper parati ad re-
spon-

spondendum omni petenti rationem de ea, quae in vobis est spe,
sed cum modestia & timore. Omissio ergo huius confessionis est
peccatum, & quidem peccatum mortale.

Queritur; Annon ad salutem sufficiat, corde cre-
dere, licet Confessio oris intermittatur? Et multi Politi-
corum in eo sibi placent, atq; Nicodemi exemplo noctu ad Chri-
stum venientis id excusant, metuantq; ne, si necessitatem con-
fessionis nimium urgeamus, multis Nicodemitis in Papatu lati-
tantibus, via salutis praecludatur. Sed. R. 1. Fides ad salutem
consequendam sola sufficit, juxta illud Christi Marc. 16, 16,
qui crediderit, salvus erit. Licet ergo Confessione fidei sala-
tem non acquiramus aut conservemus, amittere tamen illam
possimus, si confessionem fidei omittamus, cum hoc peccatum
mortale sit. 2. Confessio fidei vel voluntarie fit, vel à nobis re-
quiritur; illo modo sine salutis amissione intermitti potest,
quia sufficit, paratum esse ad confitendum: hæc sine peccato non
omittitur, si gloria DEI & salus proximi id requirit. 3. Ha-
benda est ratio infirmorum, quos ad tempus latere patimur;
sed oportet ut crescant in fide & firmi fiant; itaq; perpetuo sub
Papatus tenebris latitare non possunt; verum exemplo Nico-
demi tandem ore veritatem confiteri, Joh. 7, 50. & vitâ ac fa-
ctis id ostendere, Joh. 19, 39. atq; à Babylone exire, Christo &
ejus discipulis adharere decet; ne audire cogantur illud Johan.
12, 42. multi ex principibus credebant in illum, Sed propter
Phariseos non confitebantur, ne synagoga moverentur: dilexe-
rant enim gloriam hominum magis, quam gloriam DEI.

Causa efficiens Confessionis veritatis Evangelica prima
est Spiritus Sanctus, secunda & proxima est fides in nobis,
eaq; justificans: quod utrumq; confirmat Apostolus Paulus
2. Corinth. 4, 13. Quia habemus eundem Spiritum fidei, secun-
dum illud quod scriptum est, credidi & ideo locutus sum: nos

A 3

quoq;

XI.

Fides cor-
dis & con-
fessio oris in
Christiano
requirun-
tur.

XII.

Causa effi-
ciens.



quoque credimus, quam obrem etiam loquimur. Hic Spiritus fidei causa Confessionis procreans statuitur, & notatur ipsa fides, à Spiritu Sancto donata. Locus Psalm. 116, 20. qui adducitur, secundum Hebræos ita legitur: Credidi quum loquerer, id est, ex vera fide seu fiducia illa locutus sum.

XIII.

Scholastici Doctores fidei naturam non rectè intelligentes, in effectu quoque assignando scopum non attigerunt. Thomas Part. 2, 2. q. 7. duos tantum effectus fidei ponit; Timorem & purificationem cordis: primarium, nimirum justificationem omittens, nec non alios, inter quos confessionem fidei nos numeravimus.

XIV.

An amor Christi causa confessionis.

Polanus in Syntagm. Theol. part. 2. l. 9. c. 27. causam proximam Confessionis fidei statuit, amorem fidei erga Christum. Et sanè certum est, quod fides operetur per caritatem Galat. 5. & in actu confessionis sincera efficiendo, fides sine amore Christi non sit: non tamen caritas confessionem ipsam propriè efficit, sed movet & impellit ad confitendum, & imperat constantem & apertam Confessionem. Thomas Part. 2, 2. q. 3. art. 1 ita loquitur: Fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum mediantibus alijs virtutibus imperando non eliciendo.

XV.

Confessio Demonum qualis sit.

Queritur: Quid sit statuendum de confessione Daemonis Marc. 1, 24. ad Christum dicentis: Novi te quis sis, nimirum Sanctus ille. DE I: R. Verum quidem dixit, sed Confessionem veram non edidit: quia 1. non ex fide (Jacob. 2, 19. Dæmones credunt, & contremiscunt, ex hac noticia, timor:) sive cordis creditione Rom. 10. quæ fiducia est. 2. non ex amore Christi, sed timore servili. 3. non studio gloriæ DE I & salutis hominum, sed ut eam misceret cum suis mendacijs & suspectam redderet: actiones autem finibus estimantur; nec sufficit bonum fieri nisi bene fiat, ita nec verum di-



dicere, nisi verè dicatur. Ideò etiam Christus confessionem ejus repudians, eum tacere jubet.

Sub, etum sive Materiam Confessionis fidei statui- XVI.
mus veritatem Evangelij: neq; enim in genere de omni veri- Subjectum.
tatis cœlestis confessione, sed qua fidem concernit, agimus. Qua
in parte præcipientem habemus Apostolum Rom. 10, 8. scribentem:
Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo, hoc est, Verbum
illud fidei quod prædicamus.

Quia verò Objectum principale Evangelij, Christus XVII.
est, hinc in scripturis Confessionis subje etum modo Christus, mo-
dò verbum fidei, quod Christum prædicat, nominatur. Et
ipse Paulus hac commutat, quando v. 9 seq. subjicit: si confes-
sus fueris ore tuo Dominum Jesum: & Christus ipse Matth. 10,
32. dicit: Qui me confessus fuerit &c.

Totus autem Christus, & omne quod in scripturis de eo XVIII.
revelatum est, ut credendum, ita quoq; confitendum proponi-
tur. Nam fides est una copulativa, & articuli fidei ut annuli
in catena coherent, uno annulo demto catena rumpitur; ita
uno articulo fidei negato, fides Christiana labefactatur.

Articulos autem fundamentales hic intellectos volu- XIX.
mus, qui directè salutem concernunt, & talium noticia ad fidu-
ciam, etiam ad Confessionem, illam cordis, hanc oris neces-
saria est.

Scriptura autem de Christo credenda proponit 1. Per- XX.
sonam in divina & humana natura personaliter unitis sub- De Christo
sistentem. 2. Officium mediationis, quod merito mortis & credenda.
passionis aeternam benedictionem à DEO patre hominibus so-
lus impetravit. 3. Majestatem, quod servi formà deposita,
confederit in dextra Majestatis in excelsis, cum Patre & Spiri-
tu Sancto in, cum & per humanam naturam, non solum Ec-
clesiam, sed etiam universum mundum presenter & potenter
guber-

gubernans. 4. Applicationem, quod sacrum ministerium ordi-
nari, in quo per verbum & sacramenta meritum suae passionis
verâ cordis fiduciâ apprehendendum offert, confert & ob-
signat. Hæc exactè scire convenit eum, qui sinceram de Christo
confessionem edere cupit.

XXI.
Laicorum
in Papatu
Confessio de
Christo.
*Queritur: Quid statuendum sit de confessione
fidei Laicorum in papatu? In papatu adhuc esse quosdam
pios, nemini pio dubium esse potest; nam & per Baptismum
DEO filii generantur, & multi in simplicitate fidei apostolica ac-
quiescunt. His cognitionem Christi non confusam, sed
distinctam, licet non exactam tribuimus; norunt enim Chri-
stum esse Θεὸν Ἐκείνον, nostrum Mediatorem & in eum
credendum esse: hæc scientia ad salutem sufficit, & in infir-
mioribus commendanda est, licet non sine stipulis sit, quæ igne
probatorio ex DEI misericordia absumuntur. 1. Corinth. 3, 13.*

XXII.
Laicorum
inter Cal-
vinianos
Confessio
de Christo.
*Idem statuendum est de multis Laicorum inter Calvi-
nianos. Nam licet non minus Calviniani quàm Jesuitæ in
doctrina de Christo gravissimos errores foveant; tamen & hic
locum habet: puriores sunt sæpè aures audientium, quàm
ora Docentium. Nam Doctores mysteria iniquitatis sæpè oc-
cultant, & didicerunt ὁμοίᾳ λαλεῖν, ἀνόμοια φρονεῖν: Loquun-
tur nobiscum, non sentiunt. Deus autem per Verbum suum in ani-
mis auditorum efficax est, qui in simplicitate literæ acquiescunt,
nec glossis fallacibus attendunt.*

XXIII.
Forma.
*Ad Formam hujus operis, quæ in professione consistit,
intimius cognoscendam, varii professionis modi expendendi
veniunt.*

XXIV.
Modi con-
fessionis.
*Confessio enim vel ore fit, vel scripto, vel vita. Pola-
nus in synagm. p. 2. l. 9. c. 27. addit his modis Martyrium,
quæ voce vel ipsa confessio veritatis, vel ejus obsignatio,
cujus summus gradus mors est, notatur: si priore modo se-
mi-*

mitur, in modis jam enumeratis continetur; si posteriore modo accipitur, adjunctum vel consequens confessionis erit, unde & nos inter djuncta recensebimus.

Ore fit Confessio, cum sine ambiguitate & obscuritate ^{XXV.} _{Ore.} profiteamur, quod corde de veritate Evangelij credimus. Psal. 116, 10. Credidi propter quod locutus sum. Psal. 119, 46. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar. Talis fuit confessio Petri & reliquorum Apostolorum, Matth. 16, 16. & Job. 6, 68.

Scripto Confessio fit, quando doctrinam Evangelij ^{XXVI.} _{Scripto.} & cum primis controversa religionis capitula scripto complectimur, qualis est Confessio Augustana, Confessio B. Lutheri Major & Minor.

Vita Confessio fit, quando factis & opere exprimimus id ^{XXVII.} _{Vita.} quod ore & scripto profiteamur, & a sectariis veritatem Evangelij impugnantibus nos separamus: Idq; fit, si sacris cætibus, in quibus sincerum DEI verbum annunciat, nos adjungimus, reliquos vitamus: Si Sacramentis cum illis utimur, quos in fide orthodoxos novimus: Si preces nostras cum sincera fidei sociis jungimus: Si in externa conversatione, cum primis in ceremoniis, in gratiam adversariorum nihil facimus.

Quæritur: An Lutherani inter Pontificios viventes in conscientia peccent, si Sacrificulis recens natos infantes baptizandos offerant? Et si optandum esset, ut omnes ^{XXVIII.} _{Quomodo Pontificio- rum Baptismo in necessitate vitæ liceat.} populi obedirent voci cælesti, apocal. 18, 4. Exite de illa populus meus: Verum cum non statim, nec semper id possibile sit, & infirmi & humani quid multi hic patiantur, sciendum: Si ministri Lutherani copia fieri posset, & negligenter; vel sponte quis sacrificulum adiret, is a veritatis professione recederet: Sin vero necessitate ad id quis cogere, prius fidei sincere confessio aperta edenda est, cum rejectione ceremoniarum Pontificiarum.

B

CIA.

ciarum, quae obscurant Baptismum, atque sic Baptismo pontificio-
rum, quia substantialia retinent, uti licebit: non minus ac
tempore Christi ab iis, qui in fide gravissimos errores fovebant,
Circumcisio infantum peragebatur.

XXIX.

Calviniani
apud Lu-
theranos
communi-
cantes ad
iudicium
cana us-
suntur.

Quaeritur? Quid sentiendum sit de crypto-calvi-
nistis illis, qui apud Lutheranos sacra coena utuntur? Ve-
ra quidem Coena participis sunt, quae juxta institutionem Chri-
sti peragitur; sed ad iudicium sibi ipsi eam sumunt. Non enim
ut constantes veritatis confessores decet agunt, sed repidi sunt,
et ex ore DEI tandem evomendi. Paulo enim teste, qui edunt
hostias, participes sunt altaris et c. 1. Cor. 10, 18: ita, qui de altari
Lutheranorum hostias accipiunt, Lutheranorum sententiae
et doctrinae se subscribere fatentur. Sed et per principia Calvi-
niana, qui fractionem panis integram vel essentiali partem
constituunt, mutilata coena apud Lutheranos fruuntur, cum
more à Calvinianis requisito fractio apud nos non fiat, satius er-
go esset abstinere, quam tali cana frui.

XXX.

An preci-
bus pontifi-
corum contra
Turcam in-
stitutis in-
teresse lice-
at.

Quaeritur: An Lutherani, si cogantur à Pontificio
Magistratu, ut intersint publicis contra Turcam preci-
bus fundendis, parere debeant? Preces sunt nota fidei
et ad veram confessionem pertinent, quod exempla Danielis
et sociorum Dan. 3, et 6 satis confirmant. Hic verò consideranda
sunt, 1. preces. 2. locus. 3. causa. 4. modus. Preces in se
sunt pars cultus DEI ab ipso mandati. Locus in N. T. nul-
lus designatus, Johann. 6, 21. Imò in V. T. Naaman Syrus
in templo Rimmon verum DEUM adoravit, 2. Reg. 5. et in
N. T. Apostoli templum hora precationis ingressi leguntur, quod
spelunca latronum factum erat. Cur non ergo et hodie in tem-
plo Pontificio orare liceret, imò multis in civitatibus id fieri
videmus, ubi in uno templo à diversa religionis hominibus con-
gregationes habentur, preces fiunt et sacra tractantur. Causa etiam
qua

que pretenditur, talis est, ut nullus Christianorum ab illis precibus deterreri possit. Turca enim communis hostis est Christianorum, qui precibus magis quam armis vincetur. Sed in modo diversitas est & esse debet; certis enim horis, precum formula, idololatricis additionibus, sub opinione meriti &c. suas Pontificij preces peragunt, à quibus Lutherani abstinere debent. Et si rogantur à magistratu, cum expressa protestatione publicis precibus adsint, & vili à precioso separato, veras & orthodoxas preces ad Deum fundant, quibus plus efficiunt, quam Pontificij theatricis suis actionibus & precibus.

Quæritur: Annon ingenuæ confessioni fidei adversum sit, si quis inter Pontificios vivens, ceremoniis illorum utatur, eo fine, ne alterius fidei esse agnoscat, atq; in discrimen vitæ veniat? Ceremoniæ quidem in se res adia phoræ sunt, modo non sint idololatricæ, in casu autem confessionis hostibus etiam in adia phoræ nos conformare non possumus. Videas Pontificiorum regiones peragrantes, aqua uti benedicta, ingenua coram altari procumbere, schedas pecunia redimere, quibus probant, se Confessionem fraudum edidisse &c. Sed hi, teste Paulo, non recto pede incedunt ad veritatem Evangelij Galat. 2, et 4. Si enim Petrus simulatione sua ibidem peccavit, certe illi bona conscientia illis ceremoniis uti non possunt, eo ipso enim simulant, & Pontificij haberi volunt, quos tamen pro idololatriis habent.

Objectum Confessionis pro diversitate personarum, Quis & Cui, duplex constituendum erit: alterum Quis confiteri debeat; alterum Cui vel coram quibus Confessio e-
denda sit.

Quoad Confessores, objectum Generale sunt omnes homines, à quibus Lex divina omnis veritatis, adeoq; & Evangelica confessionem exigit: Speciale sunt omnes veri

XXXI.

Vita & externa conversatio fidei respondere debet.

XXXII.

Objectum.

XXXIII.

Confessores.

Christiani, Matth. 10, 32. *πᾶς*, Omnis qui me confitebitur.

XXXIV. Vera enim oris confessio presupponit noticiam veritatis Evangelicae, & fiduciam in Dominum Jesum, ut secundum Apostolum, verbum sit in ore & in corde, Rom. 10, 8. Hac autem non dantur in Ethnicis, quibus Evangelium est incognitum: nec in haereticis, quibus est absconditum, sed propria ipsorum culpa: sed in veris Christianis, qui ex scripturis veritatem Evangelij didicerunt, & ei fidem habent.

XXXV. Christianorum autem cœtus in duos ordines dispescitur: in Pastores & oves: ab utroque Confessio fidei requiritur. Licet enim ratione officij Pastoribus, quibus prædicatio Evangelij demandata est, publica confessio magis incumbere videatur, non tamen reliquis cœnæ dicitur proponitur. Ita enim Christus illud præceptum proponit Matth. 10, 32. ut nolis Apostolis & eorum successoribus esse proprium, sed omnibus Christianis commune esse velit, dicens: Omnis qui me confitebitur: & Paulus de omnibus credentibus dicit Rom. 10, 10: corde creditur, ore fit confessio.

XXXVI. *Impiorum confessio hypocritica.* *Quæritur:* Quid de Confessione impiorum in Ecclesia sit statuendum? Est merè hypocritica: quia ore Deum honorant, cor ipsorum procul est, Matth. 15, verbis confitentur, factis negant, Tit. 1, 16. formam pietatis habent, virtutem ejus abnegant, 2. Timoth. 3, 5. Eo ipso autem occasione præbentur adversariis tum infirmis malè judicandi & loquendi de vera religione, Dei nomen propter hos blasphemat inter gentes, Rom. 2, 24. Caret enim illorum confessio vero fundamento, scientiam habent, sed cordis fiducia destituuntur, unde satius illis esset tacere quàm loqui: Psal. 50: Impio autem dixit Deus, quid tibi ut enarres statuta mea, & assumas pactum meum in os tuum, &c.

Quoad

Quoad eos, Quibus fidei ratio reddenda est, **objedum XXXVII.**
consimiliter generale est, juxta illud Petri, 1. Epist. 3, 15: pa-
rati estote ad respondendum ^{Coram qui-} ^{bis sit con-}
omni perenti rationem & c. ^{fessio eden-}
Christus autem in specie meminit persecutorum Ecclesiae, ^{da.}
Matth. 10, 32: qui me confitebitur coram hominibus. Per
homines autem potissimum intelligit eos, qui ipsos persequun-
tur, & a quibus cavendum supra v. 17. monuit. Sic enim Marc.
8, 38. ipse interpretatur, quando inquit: Qui me confessus
fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice.

Itaque non solum coram amicis, & in cœtu credentium, **XXXVIII.**
sed etiam coram incredulis & divinis Christi hostibus, qui inge-
ros Christi confessores nefarie trucidant, apertam fidei con-
fessionem edere decet.

Quæritur: An, quia canibus & porcis margaritæ non **XXXIX.**
sunt projiciendæ, Matth. 7. tyrannis & persecutoribus de ^{Etiā per-}
fide inquirentibus non sit respondendum? ^{secutoribus}
Inquisitio ^{de fide re-}
instituitur vel discendi, vel cognoscendi, vel judicandi, vel ^{spondendū.}
deridendi, & convitiandi, vel persequendi causa: in qui-
bus omnibus hoc teneatur: vera doctrina quibusvis expo-
nenda, & confirmanda est; ipsi autem non est temerè ex-
ponenda, nec hostes veritatis sine necessitate irritandi
sunt. Alia autem est ratio privatorum hominum, alia v. magi-
stratus. Huic enim cum propter ipsorum officium, cui obe-
dientia debetur, tum propter DEI gloriam necesse est respon-
deri de nostra confessione, juxta dictum Christi Matth. 10, 15.
cum tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquami-
ni &c. Exemplum tamen Christi ad imitandum sibi propo-
nant, qui Matth. 26, postquam satis esset confessus, nihil re-
spondit Pontificibus, Herodi & Pilato; rationem exponit Luc. 22,
68: si vobis dixero, nequaquam credetis, quod si etiam inter-
rogavero, nequaquam respondebitis mihi, neque dimittetis.

XL. Adjuncta confessionis fidei præcipua nunc subjiciemus.
*Adjunctum
Temporis.* **Primo** Temporis adjunctum expendendum venit, de quo Apostolus Petrus 1. Ep. 3, 15. asserit, quod à ei semper parati esse debeamus &c. Cum enim, secundum pronunciatum sapientissimi regis, sit tempus loquendi & tempus tacendi, Apostolus paratos esse vult, & promptitudinem confitendi à nobis requirit, ut parati, expediti & promptissimi: quoties autem opus sit, ut confessionem fidei edamus, ex fine patebit.

XL I. Hinc Christus Matth. 16, 20. præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus; nondum enim satis instructi nec donis sufficientibus ornati erant, aderat quoque tempus patiendi, itaque ut differrent confessionem voluit, non omnino tacerent.

XL II. *Constantia.* Secundo. Confessioni veritatis Evangelicæ conjuncta esse debet Constantia, ut perseveremus in Confessione illa usque ad finem; id enim à Christo mandatum est, Apocal. 2, 10: esto fidelis usque ad mortem; 2. Thessal. 2, 15: perstate & retinete doctrinam traditam.

XL III. *Anathematizatio falsorum dogmatum.* Tertium est rejectio & Anathematizatio falsorum dogmatum: hinc non sufficit, quando ratio fidei postulatur, ut thesin saltem proferamus, sed & requiritur antithesis & falsa doctrinae rejectio, aliàs semiplena erit confessio. Ita Christus voluit, ut discipuli confessionem fidei suæ ederent Matth. 16, quaerendo non solum quid ipsi, sed etiam quid alij de filio hominis crederent, dicerentque. Contraria enim juxta se posita magis elucescunt, & tunc fructuosissime veritatem confitemur & defendimus, quando etiam falsas opiniones damnamus. Polanus.

XL IV. *Quid est anathematizare dogmata.* **Quaritur:** Quid sit damnare vel anathematizare falsa dogmata? Calviniani nostris affingunt, quasi his antithesibus & damnatione, hereticis aqua & igne interdican-

& carnifici exoruciandos tradant, omnemq; spem salutis absolute denegent. Sed injuriam nostris faciunt, quippe qui his reiectioribus partim ostendunt, Ecclesias nostras ab errorum & haresium, quos rejecerunt, approbatione, penitus abhorrecere: partim his legis fulminibus, ceu extremis remediis, salutem errantium quarunt.

Ulterius queritur: An talis damnatio in Lutheranis confessionibus probari possit? Nihil hac in parte contra scripturam, vel caritatem proximi, vel Ecclesiae receptam consuetudinem committitur. Scriptura enim requirit *Ἰσὲς ἔχου* contradicentes, Tit. 1, 9. & illos vitare post unam & alteram admonitionem, Tit. 3, 10. Legis etiam vox est, quae maledictionem denunciat omnibus, qui non permanent in sermonibus DEI, Deut. 27, 26: & *ἀνάθεμα* dicit omnibus qui aliud Evangelium docent, Galat. 1, 8. Et caritas proximi requirit, ut errantes in viam revocemus, non solum verbis blandis, sed etiam minis legalibus acerrimis: idq; anathematismis suis veteres efficere studuerunt, ut de periculo salutis errantes monerent, & si possibile esset, in viam reducerent.

An verò etiam personae anathemate feriendae sunt? Magna hic circumspetione opus est: nam damnatoria ista sententia primò doctrinam respiciunt, dein etiam ad personas reduci possunt. Non autem illas personas intelligimus, quae ex quadam animi simplicitate vel inscitia à veritate aberrant, nec blasphemi sunt: Sed duntaxat pervicaces fanaticarum opinionum Doctores & blasphemos propagatores: Exemplo Apostoli Pauli, qui Hymenaeum & Alexandrum satana tradidit, ut discant non blasphemare, 1. Timoth. 1, 20. & Christus ad iudeos dicit: Vos ex patre diabolo estis, Joh. 8, 44.

Quartum adjunctum est Lenitas & reverentia numi-

XLV.

An liceat
Anathemata
dicere.

XLVI.

An personae
Anathemate
feriendae.

XLVII.

Lenitas.

nis divini: huius expressam mentionem facit Petrus 1. Epi. 3, 15. *ὁ δὲ πρὸς ἅλλοθεν ἔρχεται*. Nec sine causa, ne scilicet zelo intempestivo, & cum primis falsi dogmatis acerbior rejectione, plus Ecclesia apud adversarios noceamus, quam salutem pro-
rum promoveamus. Intrepide ergo, sed tamen cum placide, & D. E. I. reverentia pleno spiritu, ratio fidei reddenda est, ut non habeant hostes, quod merito possint obijcere, sed potius sui ipsorum eos pudeat.

XI.VIII. Hinc patet, quid statuendum sit de zelo illorum, qui sub
Zelus sine scientia improbat. falsa religionis Domino viventes, quotidie illam reli-
gionem perstringunt, omnesq; asseclas, Dominum & servum satanae tradunt. Calviniani quidem ceu locum communem tales invectivas nostris tribuunt, sed illis, qui considerant zelum cum scientia esse conjunctum debere, injuriam faciunt. Et certum est, major zelus saepe in illis accenditur, qui hereticos quotidie audire & eorum machinationes videre coguntur: Intempestive tamen agunt, si quotidie & semper idem, magnaq; cum vehementia tractent, nisi materia concionis id ipsum requirat. Errorem autem & personas, & officia diligenter considerare debent: Nam si magistratus halcyonia Ecclesia vera concedit, licet nostra religionis non sit, tamen minus errabit, qui cum Jeremia ad preces pro magistratu potius confugiat, quam satana illum tradat, qui alias in irritanda illis sat occupatus est.

X L I X. Quintum est Martyrium: ita enim mundus sanctos
Martyrium. Christi Confessores beare solet, ut tandem martyrij coronam reportent. Veritas enim odium parit, nec adversarij, si brachio seculari instructi sunt, publicam ejus confessionem ferre possunt, sed calumniis, exagitationibus, carcere, ereptione facultatum, ademptione functionum seu dignitatum, exilio, mer-

te deniq; à veri confessione pios deterrere, sed frustra conantur.
Ad talia martyria patienter sustinenda, inflammare nos de-
bent exempla sanctorum in Martyrologio consignatorum; imò
ipsius Christi pronunciatum, Matth. 5, 11. Beati estis, si perse-
cuti vos fuerint, gaudete & exultate, merces vestra copiosa
erit in caelis.

Quæritur: Quid de Martyriis Calvinianorum in
Gallia, Belgio & aliis locis sit sentiendum? *Causa non*
pœna facit Martyrem: Seditiosas quorundam actiones & fa-
cta nec probamus nec defendimus; multis tamen piis per ea fa-
cta molestia creata fuit, & horum confessionem de Christo, ut
supra non rejecimus, ita nec omnes titulo Martyrii spoliare vo-
lumus, præsertim illos, quos ob fidei salvifica legitimam defen-
sionem, miserè & sæpè contra iura gentium cruciados novi-
mus.

Finis Confessionis fidei esse debet, non gloriola huma-
na, sed illustratio gloriæ divinæ & salus proximi. *Quod*
enim Christus in genere de operibus dicit Matth. 5, 16: Luceat
lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, &
glorificent patrem vestrum, qui in caelis est, idem de Sancto con-
fessionis opere statuendum est.

Consimiliter etiam facta nostra aliorum salutem inservire
debent, juxta monitum Apostoli: *Unusquisq; vestrum proxi-*
mo suo placeat in bonum, ad adificationem. Rom. 15, 2.

Et talis Confessionis fidei insignis quoq; est Utilitas: 1.
quia certum fidei salvificæ indicium est, 2. Corinth. 4, 13. 2.
infallibile communionis nostræ cum Deo signum est, 1. Johan.
4, 15. 3. præmium quoq; habet certissimum & exoptandum,
Matth. 10, 32. 4. imò certum salutis æternæ indicium est,
Rom. 10, 10.

Quæ considerantes omnes orthodoxæ fidei addicti, quid
mi-

C

L.

Quid de
Martyriis
Belgarum
Gallorum
&c. sit sen-
tiendum.

L I.

Finis Con-
fessionis.

L II.

L III.
Utilitas.

L IV.

Politico-
rum

quorum
dam atten-
sata.

mirum, quod a politicis se in angustias redigi non patiun-
tur, nec in illorum gratiam a nominibus hæreticorum pro-
concione abstinent, vel a scribendi labore contra eosdem re-
mittunt, licet clamitent, satis jam dictum & scriptum, & quo
vel tandem id obtineant, theologica scripta censuræ luæ
aulicæ subjici volunt. Quæ tyrannis ut non probanda, ita
nec ferenda est. Cum enim hæretici ab errore non desi-
stant, voce & scriptis eundem propagent, quo jura justam de-
fensionem orthodoxis denegabunt.

L V.
An salus sit
effectus
confessionis.

Quæritur: An salus æterna sit Confessionis fidei ef-
fectus? Pontificij ex dicto Rom. 10. Ore fit Confessio ad
salutem, concludunt, non solam fidem, sed etiam Confessi-
nem justificare & salvare. Sed. 1. contradicunt Paulo Eph. 2.
gratia salvati estis per fidem, non ex operibus. 2. Confessio
sequitur fidem, justificationem & salutem, quia fidei effectus
est, causa ergo salutis esse non potest. 3. Non ergo Phralis,
ad salutem, causam significat, propter quam datur salus: nec et-
iam conditionem, quia infantes infuso fidei habitu, absq[ue]
externa Confessione salvos fieri disputat Bellarminus l. 1. de
Baptis. c. 11. nec effectum, quia confessio fidei non salutis
effectus est: Sed Hebraismus est, q. d. ore fit confessio
salutis: Ideo confitemur fidem, ut testemur, nos spe esse sal-
vos Sunt qui confessionem hac loco per prædicationem verbi
enunciant, quæ interpretatio satis quoq[ue] concinna est, ore e-
nim salus annuntiatur in verbo, fide per prædicationem verbi
in corde accensa acceptatur: quo significatur confessio est efficiens
causa fidei & salutis æternæ.

LVI.
Confessio
privata
& publica.

Porro Confessio fidei variè distingui potest, sufficiat
hic nobis principale attingisse: Est enim vel privata, quæ sin-
gularum hominum est, ut Confessio B. Lutheri Major & Mi-
nor: vel publica, quæ Ecclesiæ, sive universalis, sive par-
ticu-

ticularis cuiusdam sit nomine: quales Confessiones à Synodis aliquot sunt editæ, & inter has Augustana Confessio hodie numeratur, item confessio Wurtembergensis, Luneburgensis &c.

Et quod Augustanam Confessionem concernit, unanimem Catholicæ Christianæ fidei consensum & confessionem omnium Lutheranarum Ecclesiarum illa exponit, successu etiam temporis ab orientali Ecclesia approbata fuit. Unde licet ratione antiquitatis & autoritatis universalibus Ecclesiæ Symbolis cedat, ratione tamen certitudinis postponi nullo modo potest aut debet.

Improbamus autem hic Calvinianorum *rebelles* qui se singulis annis novas cudunt Confessiones, & Confessionum Harmonias, tantum ut verbis subdole mutatis, virus suum latius spargant, & turbas Ecclesiæ dent. Levitas hæc est fugienda & sophistica detestanda: candori contra & constantia Ecclesiæ in edenda Confessione studendum est.

Opposita Confessioni veritatis Evangelicæ directè est Abnegatio illius, quæ vel clandestina est, & Dissimulatio veritatis dicitur, quando gloria DEI & salus proximi confessionem ejus requirunt. Tum autem postulant, cum falsæ opiniones de fide in animis nostro silentio confirmari videntur: aut ea manent occulta, quæ ad vindicandam DEI gloriam ab obrektionibus impiorum, ad convincendos pertinaces, & erudiendos dociles, vult Deus esse nota; aut silentium nos de approbatione malorum suspectos facit, Johan. 9. Gal. 2.

Vel aperta, eaq; vel partialis, quæ errorem aliquem contra fidem continet, qui ex infirmitate & ignorantia simplice profectus Confessio erronea dicitur: si vero deliberatè & pertinaciter defendatur: hæretica Confessio appellatur.

Vel Universalis, & propriè ac nat'è *ἐξ ὀχθῆς* Apostasia dicitur, estq; impia defectio à DEO & veritate divina semel agni-

LVI.

Augustana
Confessio-
nis autori-
tas.

LVII.

Multitudo
Confessio-
num impro-
batur.

LIX.

Oppositum
est Abne-
gatio.

LX.

LXI.

Apostasia.

agnita & confessione nostra approbata, qualis fuit Juliani A-
postata, & Apostasia Antichristi.

LXII. *Intempesti-
& Confessio* Nec minus hic peccant quasi in excessu (ut alia brevitatis
causâ non attingamus, cum in ipsis thesibus passim perstrin-
gantur) quidam intempestiva Confessione, qua sine glorie
Dei illustratione, & sine salutis cujusquam promotione, & si-
ne vocationis sive officij faciendi necessitate irritatur vel derisio
& exagitatio veritatis, vel sevitia hostium adversus pios. Hac
aberrat à vero Confessionis fidei scopo: Veritas quidem perpe-
tuò non est silenda, sed illius publicanda sæpè melior occasio cap-
tanda est.


LXIII. *Equivoa-
riones vi-
sanda.* Queritur: Annon æquivocationes cum sincere
confessione pugnent? Jesuitæ statunt, licitum esse ad ca-
tholicorum magistratum (multo magis hereticorum, ut illi
judicant) interrogationes, non legitimè interrogantes, equi-
vocare. Calviniani verbis id oppugnant, factis confirmant,
quando cum Beza in corde verba quædam retinent, quibus con-
fessionem, qua sincera videbatur, depravant. At secundum
Apostolum Rom. 10, 8: idem verbum fidei in ore & corde esse
debet, & odio digni sunt, qui ore, quod loquuntur, aliter in cor-
de sentiunt.


LXIII. *An Luth-
erani sint A-
postatas ac-
cusandi.* Tandem Apostasias nostras Ecclesias Pontificii ac-
cusant, quod à Romana Ecclesia secessionem fecerimus?
Verum, quia Romana Ecclesia à veritate defecit, meritò illam
deseruimus, & Ecclesie verae nos junximus: parietes illis relin-
quentes, scripturam nobiscum sumentes; pro quo ingenti bene-
ficio DEO gratias agimus, & rogamus, ut spiritu scientia &
roboris nos regere velit, quò in agnita ex scripturis veritate E-
vangelij, & constanti illius confessione ad finem
usq; vita perstemus.


Amen.

F I N I S
















30

DISPUTATIO
THEOLOGICA

De Confessione

veritatis Evangelicæ, ab
omnibus Christianis edendâ,

Quam

Sub auspiciis Sacrosanctæ Trinitatis,

Præfide

POLYCARPO LYSERO,

SS. Theol. Doct. Profess. & Pastore,

Publicè defendet

JOHAN von Platen /

Nobilis Pomeranus.

Ad d. 20. Decembr. horis & loco solitis.



Lipsiæ,

T 162 (30)

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.

ANNO M. DC. XXII.

